



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtru[m] in hoc sacramento remaneant accidentia panis & vini? 5

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

ma & vrique materiz est communis natura entis, & id quod est entitatis in vna, potest actor entis conuertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur.

ARTIC. V.

*Virum in hoc sacramento remaneant accidentia panis & vini post conuersionem?*

**A**d quintum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento non remaneant accidentia panis, & vini. Remoto enim priori, remouetur & posterius. Sed substantia est naturaliter prior accidente, vt probatur septimo \* Metaphysicorum. Cum igitur facta consecratione, non remaneat substantia panis in hoc sacramento, videtur quod non possint remanere accidentia eius.

**¶ 2** Præterea, In sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio. Sed per accidentia iudicamus de substantia. Videtur ergo quod decipiatur humanum iudicium, si remanentibus accidentibus, substantia panis non remaneat. Non ergo hoc est conueniens huic sacramento.

**¶ 3** Præterea, Quamuis fides nostra non sit subiecta rationi, non tamen est contra rationem, sed supra ipsam: vt in principio huius operis dictum est. Sed ratio nostra habet ortum à sensu; ergo fides nostra non debet esse contra sensum. Est autem contra sensum, dum sensus iudicat esse panem, & fides credit esse substantiam corporis Christi. Non ergo hoc est conueniens huic sacramento, quod accidentia panis subiecta sensibus maneat, & substantia panis non maneat.

**¶ 4** Præterea, Illud quod manet conuersione facta, videtur esse subiectum mutationis. Si ergo accidentia panis manent conuersione facta, videtur quod ipsa accidentia sint conuersionis subiectum. Quod est impossibile: nam accidentis non est accidens. Non ergo in hoc sacramento debent remanere accidentia panis & vini.

SED

444  
 supr. a. 2.  
 ad 3. &  
 inf. q. 76.  
 a. 1. ad 3.  
 et 4. d. 11  
 q. 1. a. 1.  
 q. 2. & d.  
 12. q. 1. a.  
 1. q. 2. &  
 1. Cor. 15  
 18. 5. co.  
 2. & si. et  
 co. 6.  
 1. 7. tex.  
 4. 10. 3.  
 2. 2. q. 10.  
 a. 1. ad 1.



*velertur  
de cōf. d.  
2. ca. nos  
autem.*

SED contra est, quod Augustinus \* dicit in libro sent. Prosperi, Nos in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, idest carnem & sanguinem, honoramus.

RESPONDEO dicendum, quod sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis & vini remanere. Quod quidem rationabiliter per diuinam prouidentiam fit. Primo quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere, & sanguinem bibere. Et ideo proponatur nobis caro & sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis & vini. Secundo, ne hoc sacramentum ab infidelibus irideretur, si sub specie propria, Dominum nostrum manducaremus. Tertio, ut dum inuisibiliter corpus & sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

*in propo-  
sit. 1. ha-  
betur hic  
lib. inter  
op. Arif.  
20. 3.*

Ad primū ergo dicendum, quod sicut dicitur in libro \* de causis, Effectus plus dependent à causa prima quàm à causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest ut remaneat posteriora, prioribus sublatis.

*li. 2. text.  
26. 10. 2.*

Ad secundum dicendum, quod in hoc sacramento nulla est deceptio: sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, quæ sensibus dijudicantur. Intellectus autem, cuius est proprium obiectum substantia (ut dicitur in tertio de anima \*) per fidem à deceptione præseruatur.

Et sic patet responsio Ad tertium. Nam fides non est contra sensum, sed est de eo, ad quod sensus non attingit.

*ar. 4. bu-  
ius q. ad  
1. 29. 2.*

Ad quartum dicendum, quod hæc conuersio non proprie habet subiectum, ut dictum est \*. Sed tamen accidentia quæ remanent, habent aliquam similitudinem subiecti.